DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA
DE
HÆMORRHAGIA UTERINA GRAVIDARUM.

QUAM, Auctor, JOANNES-DAVID CABIBEL, Mazametensis, apud Occitanos, Almæ Facultatis Tolosanæ Liberalium-Artium Magister, & in Augustissimo Ludoviceo Medico Monspeliensi, jàm-dudùm Medicinæ Alumnus, pro Trimestri Januarii anni 1785, publicis subjiciebat disputationibus.

Pro Baccalaureatûs gradu consequendo.



MONSPELII,
Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Regis & Universitatis Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXXXV.



OPTIMO PATRI

DILECTISSIMÆQUE MATRI,


NEC-NON

PARENTIBUS COLENDISSIMIS,

HAS Studii Medici primitias, in publicum & æternum amoris, gratitudinis & reverentiæ monumentum,

Dicat, vovet, consecrat,

J. D. CABIBEL.



DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA

DE

HÆMORRHAGIA UTERINA GRAVIDARUM.

INnumera prægnantibus imminent pericula; lapſus enim, vividius animi pathema, conſtitutionis vitium, uno verbo in œconomiâ animali qualiſcumque perturbatio, dira admodum, apud eas procreant accidentia, inter quæ frequentius periculoſiuſque omnium, hæmorrhagia uterina meritò haberi debet; cum matrem ipſumque fœtum quam plurimùm ingenti periculo exponat, imprimis dùm temerariæ vel ignaræ manûs operæ committitur.

In iſto tentamine de hæmorrhagiis prægnantium uterinis, quæ ferè ſemper à placentâ deglutinatâ pendent, ſolùm queſtio erit; dixi, *ferè ſemper*, quia originem ducere poſſunt ab ipſiuſmet uteri ruptione aut excoriatione. De illo autem accidente, Practicorum celeberrimorum attentione digniſſimo, verba non faciam, prætermittam etiam funiculi umbilicalis ruptionem quæ hæmorrhagiam uterinam procreat, cujus perfectam diſtinctionem cognitionemque cum celeberrimo *Van-Swieten* & multis aliis, ante effluxum liquorem quem amnios continet impoſſibilem judicamus. Aliquandò etiàm evenit ut mulieres per geſtationis tempus menſtruationem patiantur; illud evidentèr probatur ex illuſtriſſimorum Auctorum obſervationibus (1),

(1) *Hâc de re legantur* Mauriceau, Deventer, Puzos, Smelie, Levret,

ſed quia fluxus ille menſtruus damna non affert, (niſi debilis temperamenti mulieri ſuperveniat) de illo non agam. Dicam ſolummodò diſtingui poſſe ab hæmorrhagiâ à placentâ deglutinatâ originem ducente, ſequentibus ſignis. 1°. menſtruatio ſtatutis periodis recurrit, 2°. parvâ quantitate fluit ſanguis, & eò magis illius imminuitur fluxus, quò magis à tempore conceptionis recedit prægnans. 3°. In ſupra dictâ hemorrhagiæ uterinæ ſpecie, ſanguis grumos efformat, & ſi in linteo excipiatur, ſeroſitas in circumferentiâ apprimè diſtinguitur (1). Sanguinem menſtruationis in iſto caſu, non ex uteri cavitate, ſed ex ipſius collo & ex vaginæ vaſis profluere contendunt *Hoffman* & *Van Swieten*. Cum quibuſdam Auctoribus illud ſignum minoris eſſe ponderis quam aſſerunt viri illi licet peritiſſimi dicere non dubito. Inſuper ſuprà relata ſigna, ut certa habeatur prognoſis ſufficiunt.

Uterinæ hæmorrhagiæ maximam Practicorum merentur attentionem. Per totum geſtationis decurſum ſupervenire poſſunt; quæ autem initio apparent minus periculum afferunt, quam quæ ſub ejus fine notantur. A variis cauſis pendent quas enucleare & exponere conabor; ſed anteà annotare utile duxi abortûs cauſas hæmorrhagiam uterinam gignere poſſe plus minuſve copioſam; teſtantibus *Puzos* (2) & *Van-Swieten* : *ante » abortum vel & ipſo abortûs tempore ſanguis majori minorive copiâ » de utero exit* (3). » Igitur quæcumque abortum promovent, ut hæmorrhagiæ uterinæ cauſas conſiderabo.

I. Obſervationes uteri hæmorrhagiarum, poſt ictus, lapſus, nimias abdominis compreſſiones (4) haud rarò reperiuntur. *Mauriceau* (5) ſororem ſuam poſt lapſum uterinâ hæmorrhagiâ periiſſe reffert. *Peu* (6) narrat obſervationem mulieris ab octo menſibus prægnantis, quæ iracundè

Van-Swieten, Roëderer & Baudelocque. *Clariſſimi Profeſſores in Almâ iſtâ Univerſitate N. N.* de Lamure & Gouan, *mulierem viderunt per ſolum geſtationis tempus menſtruatam.* D. Beauchene *ſimilia profert exempla..*

(1) *D.* Laborie, *Chirurgus peritiſſimus ſignum iſtud numquàm abeſſe aſſerit, & illud tanquàm omnium certiſſimum habet.*

(2) *Mém. ſur les pertes de ſang, à la ſuite de ſon Traité d'accouch. pag.* 323.

(3) *Comm. ſect.* 1296, *pag.* 468.

(4) Winſlow, *Mém. de l'Ac. des Scien. année* 1740.

(5) *Traité des maladies des femmes groſſes, liv.* 1, *ch.* 21, *pag.* 162.

(6) *Pratique des accouch. liv.* 1, *chap.* 8, *pag.* 71.

ancillam insequens, ventrem ad mensæ angulum offendit, septimâ die talis hæmorrhagia accidit, ut partum determinare coactus fuerit vir ille peritissimus, ut eam ab orci faucibus eriperet, sed quod mirum est, fœtûs caput à nasi radice, ad primam cervicalem vertebram, juxtà suturæ sagittalis directionem, in duas partes fuisse divisam asserit, & capitis sic divisi connexique collo, in vicinum humerum quamque partem inclinare.

II. Corporis agitationes sive à voluntate pendeant, sive ab illâ non procedant, uterinas hæmorrhagias procreare valent. Causæ autem quæ à voluntate pendent, sunt choreæ, cursus immoderatus, saltus, cachinnus immodicus, vociferationes, cantus, onerum gestatus, equitatio, in rhedâ vectatio, imò mulieres abortum passas fuisse, eò quòd brachia elevaverant, observatione constat. Inter causas quæ à voluntate precisè non pendent, annumerabimus tussim, sternutationem, vomitum, omnes morbos convulsivos, febres acutas imprimìs inflammatorias, omnes istas causas observatione confirmare possem, sed brevitatis causâ tres tantum afferam. Primam tradit *Van-Swieten* qui abortum observavit, quia mulier à terrâ puerum tulerat, & in alio loco, sic vidi, inquit (1), *à sternutatione validâ & frequenti in coryzâ incipiente hæmorrhagiam uterinam contigisse. Peu* (2) reffert Lutetiæ anno 1755 à nebulâ humidâ densâque epidemicam tussim ortam fuisse, ita sævientem, ut plures mulieres inanitione, amisfâ maximâ sanguinis parte, perierint. *Hippocrates* de cantatrice (3) loquitur quæ parum saliendo, immaturum fœtum dejecit. Et in altero loco (4) *mulierem*, inquit, *utero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale est.*

III. Irritantia, stimulantia quæ irritationem in systemate nervoso producunt, ex quâ plerumque convulsio & spasmus oriuntur, placentam deglutinare, & fœtus vitam extinguere possunt. Propter violentam quam utero inferunt succussionem. « Sunt autem quæ, si acre quiddam aut » amarum, prætèr consuetudinem ederint, aut biberint, fœtus perdunt, » tenello adhùc puello intùs existente, si quid enìm puero prætèr natu- » ram accidat, atque si parvulus adhùc fuerit, moritur (5). »

Ut irritantia habenda sunt enmenagoga, emetica, purgantia calida

---

(1) *Comment. sect.* 1306, *tom.* 4, *pag.* 499.
(2) *Pratique des accouch. liv.* 1, *chap.* 7, *pag.* 59.
(3) *De naturâ pueri.*
(4) *Aph.* 30, *lib.* 5.
(5) Hipp. *de mulier. morbis*, *lib.* 1, *cap.* 24, *pag.* 745.

diuretica, sudorifica, enemata, pessariaque acria, denique quædam alia remedia quæ immanes puellæ sceleste adhibent, & quæ supervacaneum foret enumerare, calamus ipse rescribere recusat horrendas dictu artes quæ sacram hominis nondùm perfecti effigiem, tentant sinu extorquere materno.

Hæc neque in Armeniis tigres fecere latebris:
Perdere nec fœtus, ausa leæna suos;
At teneræ faciunt, sed non impunè puellæ:
Sæpè suos utero quæ necat, ipsa perit.

Vermes, acresque in intestinis materies, irritando hæmorrhagiæ uterinæ causæ fiunt. *Mulieri utero gerenti, si tensio supervenerit, facit abortum* (1). Nephritis, stranguria, diarrhæa, eumdem effectum promovent. *Mulieri in utero gerenti, si alvus plurimùm profluat, periculum est ne abortiat* (2). Addi possunt hepatis, lienis schirrosa moles, glandularum mezentericarum obstructio, quæ fortè non irritando, sed comprimendo uterum, illius hæmorrhagiæ ansam præbent.

IV. Animi pathemata haud rarò hæmorrhagias uterinas generant; ira enim omnes adauget coporis motus, nervorum vasorumque actionem excitat, & omnes humores rarefactione afficit. *Peu* (3) ob vehementiorem iræ motum subitò lethalem uteri hæmorrhagiam observavit. *Smelie* (4) mulierem vidit copiosâ uteri hæmorrhagiâ correptam in ultimis gestationis temporibus, proptèr terrorem quem flammæ domum devorantes, ipsi excitarunt. Dùm fragore ingenti cœlum intonat idem evenit, quod observatione triplici *Mauriceau* comprobat. Elatio gestientis animi, vel sollicitæ mentis æstus, hujusce fiunt morbi causæ. D. *James* in Dictionnario Medico *art. abortus* inter plures observationes quas ex variis Auctoribus, de causis abortûs & hæmorrhagiæ uterinæ collegit, reffert observationem D. *Giffard* qui vidit uxorem conjuge morte perempto, mærore languentem, & ideò hæmorrhagiâ uterinâ correptam quæ abortum intulit.

V. Humores qui degenerationem passi sunt aut viru quodam v. g. venereo, scorbutico, &c. infecti, miasma putridum, carbonis vapores, odores acres, aër humidus & calidus, vita iners, aliquandò fiunt uteri hæmor-

(1) Hipp. *aph.* 27, *lib.* 7.
(2) Hipp. *aph.* 34, *lib.* 5.
(3) *Pratique des accouch. liv.* 1, *chap.* 8, *pag.* 70.
(4) *Traité des accouch. tom.* 2, *pag.* 334.

rhagiarum causæ. Addit *Lieutaud* (1) cafæi, vini, liquorum ardentium abusum. Venæ-sectio nonne posset eumdem producere effectum ? Dixit *Hippocrates* (2) *mulier utero gerens, sanguine misso è venâ, abortit, & magis si fœtus sit major.* Practici verò hanc *Hippocratis* sententiam neglexerunt, & ferè omnes venam secant in tempore graviditatis. Hæc praxis quotidiana sæpissimè maxima mala parit, & D. *Beauchene* (3) venæ-sectionem habet tamquàm frequentius gravidarum exitium. Illustrissimus Professor D. *Vigarous*, in eximiis suis Prælectionibus, venæ-sectionem, emetica, purgantia, initio quarti aut septimi graviditatis mensis, abortum inferre nos docuit. Quia tùnc temporis insolitus in machinâ excitatur motus. D. *Laborie* etiam observavit sanguinis missionem peractam in mensium periodo abortûs esse causam, & fortasse in illis circumstantiis *Hippocrates* observationem supra dictam fecerat, attendendum insuper Medicinæ Principem, in regione admodùm calidâ vivere, in quâ constitutiones multo debiliores sunt. *White* (4) plures novit mulieres debilis temperamenti, cibos fastidientes, quæ nùnquam ad partûs terminum pervenerunt cùm adhibita fuit venæ-sectio; dum è contrà dùm ab illâ abstinuere, prolem robustam ediderunt : indè patet, quam prudenti manu illud auxilium apud prægnantes adhiberi debeat, ne invertatur ordo motuum qui versùs uterum diriguntur, & celeberrimus *Stalh* (5) dicit, tempore graviditatis, naturam omnes motus suos derivare, novo huic labori omnem operam dare, & veluti operationes suas usitatissimas negligere.

VI. Extinctus fœtus in sinu materno, ferè sempèr hæmorrhagiæ uterinæ ansam præbet (6). Frequentes violentique ejus motus quos quidam convulsivos dicunt, eumdem effectum præstant. Fœtus enormis magnitudinis, aut plures simul in utero clausi, abortum promovent; quia uterus satis extendi nequit, ut fructum conceptionis, ad terminum à naturâ statutum servet.

VII. Funiculus umbilicalis naturaliter, brevior aut fœtûs collo vel humeribus involutus, placentam trahendo deglutinare potest, quidam Prac-

---

(1) *Précis de Médecine tom.* 3, *pag.* 354.
(2) *Aph.* 31, *lib.* 5.
(3) *De l'influence des affect. de l'ame dans les malad. nerv. pag.* 197.
(4) *Avis aux femmes en couche*, *pag*, 3,
(5) *Theoria vera*, *sect.* 1, *memb.* 5, *pag.* 317.
(6) Stalh, *Diss. de abortu & fœtu mortuo in collect. de* Haller, *tom.* 4, *pag.* 607.

tici de illâ causâ mentionem agunt, cujus exemplum præbent acta Academiæ Scienciarum (1).

VIII. Placentam orificio uteri superiori adhærere constat, & ex nostræ ætatis Scriptoribus, nullum superest dubium. *Saxtorph* (2) in epidemiâ intra sex menses octiès illud se observasse, & ex illâ adhæsione hæmorrhagiam plus minusve copiosam, semper ortam fuisse, narrat. Placenta schirro aut varicibus affecta, fit etiàm hujusce morbi causa, in omnibus autèm illis casibus, partum determinare necessarium est.

IX. Ab ipsiusmet uteri vitiis produci potest hæmorrhagia uterina, dum v. g. spasmo partiali à fibrarum irritatione laborat: vel dùm ulcere, polypo, schirro afficitur. Inter causas referremus quoque corpora extranæa in istius visceris cavitate contenta. *Morgagni* (3) in eximio opere plures affert observationes quibus constat molas in cavitate uteri contentas, ejus hæmorrhagiam abortumque produxisse. Coïtus etiam ob contractionem spasmodicam quam excitat, nonne frequentissima hæmorrhagiæ uterinæ causa haberi posset? Hæc opinio arridet clarissimo *Zimmermann* & observationibus quibus constat mulieres quæ utero gerunt paulo-post celebratas nuptias, abortui magis obnoxias esse, Stabiliri videtur. *Mauriceau* apud recèns nuptas ob frequentiorem ardentioremque coïtum, abortum frequentius evenire asserit. Delapsam ex æquo gravidam, illustriss. *Lamotte* (4) commemorat, mòx incidisse in hæmorrhagiam uteri, per menses aliquot modicâ fluentem copiâ, quæ enormis post coïtum fiebat; adeò ut lecto affixa, sextâ post exclusum infantem horâ expiravit. Animalia abortum non pati, nisi vehemens percussio præcesserit, nonne conjectare licet, eò quòd post conceptionem à copulatione abstineant. Illud consilium admodùm utile, effectum obtinere meretur, nihilque ad prolem servandam arduum videri debet. Saltem suaderem mulieribus quæ jàm abortum initio quarti aut septimi mensis passæ sunt, à coïtu abstinere per mensem integrum, ante & post notatam abortûs epocam, istâ fortassè cautelâ amoris fructum à naturâ pignori datum, ad felicèm ducerent terminum. Cùm uterus non sàt uniformitèr dilatatur, idem pravus subsequitur effectus, præcipuè apud puellas quæ præmaturè nubunt, ut judiciosè notavit D. *Lemoine* (6).

---

(1) *Année* 1701, *pag.* 118.
(2) *Collect. Societ. Med. Havn. p. M.* 312.
(3) *De sedib. caus. morb. epist.* 48, *tom.* 2, *pag.* 540.
(4) *Traité complet des accouch. p. m.* 358.
(5) *Notes sur les accouch. de Burton*, *tom.* 1, *pag.* 425.

Mulieres

Mulieres temperamento calido ſanguineoque donatæ, & quæ antè graviditatem, immoderatâ menſtruatione purgantur, uteri fluxionibus maximè obnoxiæ ſunt, & illâ ſanguinis aut aliorum humorum, in ſpongioſum & laxum hujuſce viſceris textum fluxione, producuntur hæmorrhagiæ admodùm periculoſæ. *Mulieri prægnanti, ereſipelas in utero læthale* (1), uteri atonia, morbo qui huic viſceri naturalis eſſe poteſt ſuccedens, fit cauſa uteri hæmorrhagiarum, quæ periculoſiſſimæ ſunt, ut ex dicendis patebit.

Analogiâ igitur, Practicorum celeberrimorum obſervationibus, probatur omnes cauſas ſuperiùs traditas, etiàm ſeorſim ſumptas, in quibuſdam circumſtantiis, hæmorrhagias uterinas gignere poſſe; imprimis cum ægrotantis diſpoſitio peculiaris favet; illa autem diſpoſitio in dubium revocari nequit, & hæmorrhagiæ uterinæ abſquè manifeſtâ causâ hanc ſtabilirent: verùm demonſtratur eò quòd à pluribus cauſis etiàm ſimùl collectis, aliquandò non producatur uteri hæmorrhagia in quibuſdam mulieribus. Ipſemet mulierem quamdam novi quæ tuſſi adeò moleſtâ laborabat, ut ſomnum capere non poſſet, intereà etiam è ſcalis cecidit; tamèn in tempore à naturâ preſcripto filiam peperit, quæ optimâ valetudine gaudet. Deniquè ut probem quamplurimas cauſas, ſimùl etiàm collectas, in quibuſdam mulieribus, abortum non ſempèr promovere, *Scardani* mirandam obſervationem, integrè proferre ſat erit (2). « Quid ego nobi-
» lem mulierem commemorem nuptam quidem, ſed quæ marito à tribus
» annis copulam ſui corporis non fecerat; quippè alterius viri libidine accenſa,
» eum ſpreverat, quæque ſimùl ac menſtrui ſanguinis ſuppreſſione & ex
» aliis ſignis conjecit ſe gravidam eſſe, timens, ne ſi vir adulterium agnoſceret,
» nefandæ turpitudinis causâ morti damnaretur, abortum omnibus modis
» procuravit, ſed fruſtrà: fruſtrà iis quæ paſſim in fœminarum cœtu uſurpan-
» tur, quæ cœlo terras miſcere ſolent, & naturalibus ſuperſtitioſa; fruſtrà
» iis, quæ à Medicis, Chirurgis, & circulatoribus proponuntur: viàm omnem
» fruſtrà tentavit, peſſaria fruſtrà adhibuit, ſpongias variis ſuccis im-
» butas: ſuffumigia ex aquâ calcis vivæ, ſpiritu ſalis ammoniaci, &c. injec-
» tiones ex ſolutione ſublimati corroſivi cum diagridio & pulvere euphor-
» bio: purgationem paſſa eſt cum aloë, myrrhâ, borace, caſto-
» reo, aſsâ fœtidâ, euphorbio, colocynthide, cantharidibus;
» vomitum ex radice ipecacuanhæ, tartaro emetico; ſternuta-
» tionem ex pyretro, pipere, radice hellebori albi. Sed omnia incaſsùm;
» itàut mulier à medicamentorum actione, animi pathemate, inediâ,

---

(1) Hippoc. *aphor.* 43, *lib.* 5.
(2) *De cognoſcendis & curandis*, *morb. mulier. cap.* 11, *pag.* 182.

» vigiliis diutiùs per bimeſtre ſpatium vexata, morti eſſet quam proxima.»

Uteri hæmorrhagiarum cognitâ causâ, convenientibus auxiliis, ad illam citiſſimè debellandam aut ſaltèm palliandam accingat ſe Medicus; hæmorrhagiam tamen cui plùs minùſve celeritèr ſuccurrendum, pro ſanguinis amiſſi quantitate, graviditatis tempore & cauſarum naturâ non negligat; ſed in omni caſu à quâcumque causâ pendeat, remedia generalia, ut diæta, quies animi & corporis præſcribantur, in lecto duro & in ſitu horizontali jaceat ægrotans, & ab illâ quæcumque animi commotiones excitare valent amoveantur (1), ſilentium in quantùm mulieri poſſibile eſt, ſuadeat Medicus. Cubiculi renovandus aër: nàmque aërem frigidum qui aliquoties menſtruationem ſupprimit, in iſtâ circumſtantiâ & præcipuè æſtivo tempore, valdè prodeſſe aſſerere non dubito.

Iſtis cautionibus, hæmorrhagiæ quædam uterinæ à deglutinatâ etiam placentâ pendentes, fauſtè ſanatæ ſunt. Quod penitùs opinioni Celeberrimi *Mauriceau* (2) repugnat, & Clariſſimus *Aſtruc* expreſsè dicit (3), « le placenta détaché de la matrice par un bout, ne peut jamais » s'y retacher, & qu'il faut toujours pratiquer l'accouchement, » ſi l'on veut ſauver la mere & ſon enfant. » Prima propoſitio vera eſſe poteſt: ſecundam verò falſam judicamus, optimorum Auctorum (4) auctoritate freti; enim verò ex Illuſt. *Puzos* (5). « Les pertes de ſang peu- » vent avoir différentes cauſes; mais la plus ordinaire eſt le décolement de

---

(1) *Licèt in illis circumſtantiis, quæ emotiones excitant, arcere ſuadeam; quandòque à terrore ſubitaneo periculoſiſſimas ſanatas fuiſſe hæmorrhagias non me latet.* D. Aubry (*Oracle de Coſ. pag.* 674) *illo auxilio mulierem hoc morbo laborantem cui proxima mors imminebat vitæ & ſanitati reſtituit: tamen, num hæc methodus adhibenda ſit, nec ne, ſtatuere tyronis non eſt; humerique ferre recuſant quod in praxi verſatiſſimi Medici prudentiam expoſtulat.*

(2) *Aph.* 44.

(3) *L'Art des Accouchemens réduit à ſes principes, pag.* 144.

(4) Levret, Smelie, Roëderer, Van-Swieten, Baudelocque, & Burton: *Ce dernier dit même formellement.* « *Les pertes qui ſont dues au décolement total du placenta, ne peuvent ceſſer que par l'accouchement;* » *mais on voit tous les jours celles qui ne ſont occaſionnées que par un* » *décolement partiel, s'arrêter d'elles-mêmes, ne point menacer les jours* » *de la mere, & permettre à l'enfant de reſter dans la matrice ſain juſ-* » *qu'au bout de neuf mois.* »

(5) *Mémoire ſur les pertes de ſang à la ſuite de ſon Traité d'accouchemens, page* 327.

» quelque portion du placenta, d'avec le fonds de la matrice : cette cause » soupçonnée deviendroit presque toujours l'objet de l'accouchement de » nécessité, si l'expérience n'avoit fait reconnoître qu'on peut avec » des précautions & des remedes, arrêter quelquefois une perte » de sang produite par le décolement du placenta. » Omnes Auctores qui de hæmorrhagiis uterinis scripsere, de illis remediis verba fecerunt, quidam ex illis venæ-sectionem, ut palmarium commendant auxilium. Quidam è contrà adstringentia & stiptica anteponunt, plures alii pseudo-specifica, quæ in omni casu adhibent, jactaverunt. Hæc opinionum diversitas haud dubiè provenit, ex eò quòd ad quasdam circumstantias non attenderunt, quæ remedium aliquod ex indicatione anteponendum efficiunt, dùm in alio casu minùs utile foret.

Sub triplici aspectu, plethoræ nempè, spasmi, & atoniæ, hæmorrhagias uterinas considerabo, de remediis cuilibet circumstantiæ convenientibus, mentionem agam, incipiendo à plethorâ.

Mulieres temperamento sanguineo donatæ, hæmorrhagiâ uterinâ, à quâcumque causâ pendeat laborantes, antiphlogisticâ methodo & præcipuè venæ-sectione in brachio tractari debent: à venæ-sectione autem in isto casu, duplex obtinetur effectus. 1°. Imminuitur plethora. 2°. Versùs superiora fit revulsio, dùm in mollem spongiosumque uteri textum, fluxione rapiuntur humores, *Ettmuller* præscribit sanguinem per intervalla è venâ mittere, digitum suprà ipsam venæ aperturam identidèm ponendo. Hâc methodo, copiosissimas hæmorrhagias quæ optimis restiterant remediis, curasse asserit. Et Clarissimus Professor D. *Broussonet* in eximiis suis de auxiliis Medico-Chirurgicis prælectionibus, hanc methodum valdè commendat. Numerum venæ-sectionum, ut quidam fecerunt non statuam, iterari debent pro ægrotantis ætate, quantitate sanguinis amissi, pulsûs consideratione qui durus, celer, & plenus esse debet. Ad epidemiam regnantem etiam attendendum. Demùm à venæ-sectione abstinendum, statìm ac vires debilitantur. Quià à copiosiori sanguinis missione, gravissimi v. g. hydrops, cachexia, &c. exsurgunt morbi. Licèt venæ-sectio, aut ipsa hæmorrhagia syncopem accerserent, vires suscitandæ non essent, medicamentis stimulantibus ut spiritibus volatilibus, cardiacis, &c. è contrà status ille debilitatis utilis judicandus est, quià favet ex observationibus Ill. *Hunter* & *Withe* formationi grumorum sanguinis qui hæmorrhagiam sistere possunt, & spem solam in vitæ debilitate superesse contendit *Van-Swieten*. Illâque methodo prægnantes hæmorrhagiâ uterinâ affectas, & quarum salus desperata videbatur, sanitati restituit.

Post venæ-sectionem, aut antè illud præstans auxilium, maximo cum successu exhibetur nitrum juxtà D. *Alexandre*, uno ferè instanti circu-

lationis motum retardat, & mirifico modò pulſationum numerum minuit. Juxtà eumdem Auctorem epotandum præbeatur, ſtatim ac in aquâ diſſolutum eſt. Doctor *Dikſon* effectus ejus ſalutiferos in hæmorrhagiis uterinis obſervavit, ſed ſolummodò cum pulſus febrilis duruſque deprehenditur. *Withe* (1) nitrum cum ſucceſſu adhibuit & à Celeberrimis *Stalh* (2), & *Geoffroy* (3) valdè commendatur; ſed annotare intereſt, nitrum non indicari in mulieribus quæ acri putridâque bile laborant. Tùnc acida ex vegetabili vel minerali regno deprompta, ſufficienti vehiculi quantitate temperata, valdè proſunt: locum etiam in illâ plethorâ de quâ mentionem egimus, & imprimìs poſt venæ-ſectionem, obtinere merentur. Verùm ſi omnia hæc incaſsùm ruant remedia, ad topica confugiendum. Afferam autem infrà omnia illius generis remedia, quæ uſu comprobata ſunt.

Mulieres quæ urbes colunt, quæ lautè vivunt, & otio diffluunt, morbis vaporoſis maximè obnoxiæ ſunt, qui hæmorrhagiæ uterinæ abortuique anſam ſæpè præbent. Conſtat etiàm illud ſæpiùs contingere in regionibus calidis. « Sic in civitatibus auſtro appoſitis, mulieres frequenter abor- » tiunt (4). » Uno verbo quæcumque ſpaſmum tùm generalem, tùm particularem excitare poſſunt, hæmorrhagiæ uterinæ cauſæ fiunt, quæ venæ-ſectione debellanda non eſt; niſi tamen ſigna plethoræ manifeſta ſint, aut à plethorâ ipsâ ſpaſmus producatur. Nam ſi è contrà à morbo nervoſo, hyſterico, abſquè febre, vel ab animi pathemate vivido, originem ducat. Anti-ſpaſmodica quæ nimiam obtundere valent ſenſibilitatem ex quâ ſanguinis congeſtio versùs uterum pendet, palmam referunt; attamen indiſcriminatim omnia anti-ſpaſmodica adhibenda non ſunt, maximaque, eorum pars nocere poſſet; ſed anteponendum ſemper extractum opii gummoſum, per longam digeſtionem paratum, juxtà methodum à Domino *Baumé* deſcriptam (5). Hâc enim methodo, reſinoſo phlogiſ-

---

(1) *Avis aux femmes enceinte & en couche*, *page* 73.
(2) *In diſſertatione de magnâ nitri utilitate in uſu Medicinæ.*
(3) *Mat. Méd.*, *tom.* 1, *page* 194.
(4) Hippoc. *de aëre locis & aquis*, *tom.* 4, *pag.* 190.
(5) *Elémens de Pharmacie*, *art. opium.*

On pourroit ſéparer l'extrait gommeux de l'opium d'une maniere beaucoup plus prompte que par la méthode de M. Baumé: *pour cet effet, il faut concaſſer l'opium dans un mortier de marbre & l'agiter pendant longtemps avec de l'eau fraîche; faire enſuite évaporer cette eau ſur pluſieurs aſſiettes de fayance; & par ce ſeul procédé, qui eſt bien facile, on n'obtient que l'extrait gommeux parfaitement pur.*

ticoque ſpoliatur principio. In quo reſidet irritans & narcotica virtus, à quâ ſolâ agitationes, perturbationes, & etiàm convulſiones quandòque ſuſcitantur: extractum è contrà gummoſum ſolam ſedentem virtutem retinet, quapropter omnes ferè evacuationes minuit, aut ſiſtit. *Alſton* & *Whytt* innumeris experimentis in ranis aliiſque animalibus tentatis, ſanguinis circulatorium motum, ab illo valdè retardari obſervavere; itàque effectus ille attentione digniſſimus, uſum illius per utilem in iſto caſu nos docet & demonſtrat. Per uſum opii aut ſyrupi papaveris albi, copioſiſſimas uteri hæmorrhagias, ſanaſſe teſtatur Cl. *Tiſſot*. Eàdem ſubſtantiâ enemata confici poſſent, imprimìs ſi ægtotans doloribus in uteri aut lumborum regione, ſæviſſimis cruciaretur: Quòd hæmorrhagiis uterinis familiare eſt. Cum ſucceſſu adhibere poſſunt kina, folia, cortexque amarorum aurantiorum quæ *Septalius* & *Hamilton*, ut infrà dicetur, tanti faciunt.

Nùnc de hæmorrhagiis uterinis ab atoniâ productis, quæſtio erit: atonia autem uteri à vitio conſtitutionis nativo, vel à chronicis morbis, qui genus nerveum debilitarunt, originem ducere poteſt. Vitæ genus otioſum & balnea tæpida ad hoc vitium diſponunt (1). Partus difficiles & laborioſi antecedentes, fluores albi, præcedentes hæmorrhagiæ, atoniam uteri accerſere ſolent (2): ſi in illis circumſtantiis hæmorrhagia uterina ingrueret, ſtatim ad tonica, aſtringentia, & ad topica confugiendum.

Ab optimis Medicis aſtringentia ut tonica habentur, itàque de aſtringentibus propriè dictis, & de remediis virtute tonicâ & aſtringente pollentibus indiſcriminatim agam. Aſtringentia non ſolùm in ſolida agunt; verùm etiàm eorum actio in fluida innumeris comprobatur experimentis à Cl. *Freind*, *Schulze* & multis aliis tentatis. Unicam afferam ex illis quæ *Schulze* commemorat. Canis cruralem ſecavit arteriam, & dùm impetu proſiliret ſanguis, tres quatuorve guttas liquoris rubri ſtiptici à *Dippel* inventi, in os canis injecit. Eodem ferè inſtanti, ceſſavit hæmorrhagia, & arteriæ aperturam, grumus ſanguinis clauſit, veluti ab immediatâ ſtiptici applicatione efformatus fuiſſet. Mechanicorum theoriis explicari non poteſt, ab illis liquoris ſtiptici guttis, in loco diſſito ſtatim hæmorrhagiam coerceri: admittendus igitur effectus affectionis adſtrictivæ qui in ore, canis, principio vitali imprimitur, & quæ ſympathicè iteratur in ſanguinis

---

(1) Van Swieten, *comm. in aph.* Boerh., *tome* 4, *page* 429.

(2) *Annotabimus tamen, invanùm adhibenda fore aſtringentia, ſi adhùc hæmorrhagia extaret quæ ægrotantis vires multùm fregiſſet Tùnc ſatiùs eſſet partum determinare, ſi paulìſper os uteri dilatetùr & mùlier à quarto vel quinto menſe utero gerat.*

mafsâ, humorumque aliorum qui folidorum inftar, vi fenfitivâ & motrice pollent (1).

Innumeram aftringentium claffem non proferam; fed folummodò agam de illis quorum virtus ab obfervatione demonftratur. Kina virtute tonicâ & aftringenti inftruitur; itàque effectus falutiferos præftare poteft, à D. D. *Tiffot* (2) & *Lævis* laudatur, & Clariffimus pro Cancellarius D. de *Barthez*, licèt in quibufdam cafibus emmenagogi remedii effectus confequatur, kinam in uterinis hæmorrhagiis ab atoniâ productis, commendat. Simaruba, quam in periculofiffimis uteri hæmorrhagiis, laudibus extollit D. de *Juffieu*, in iftocafu, juxtà D.D. *Lieutaud* & de *Barthez* locum obtinere meretur. Infuper D. *Lieutaud* catechu præfcribit. In eodem remediorum ordine annumerabimus, fuccum hypociftis, acaciæ & præprimis draconis fanguinem. *Hamilton* (3) & *Septalius* (4) corticem aurantiorum acri medullâ fpecificum habent. *Gulbrand* (5) ex illo optimos reipsâ effectus notavit. *Ludovic* radicem tormentillæ aliis aftringentibus anteponit: *Lævis* è contrà præftantius aftringens regni vegetabilis, radicem biftortæ dicit, & illam in hæmorrhagiis uterinis quæ pendent ab atoniâ adhibet. Flores punicæ, malicorium, fumach, quercûs cortex, ejus germina, glans, gallæ in ufum vocantur.

Plurima aftringentia nobis regnum minerale fuppeditat quæ majori energiâ pollent; fed quæ prudenti manu adhibenda funt. Aqua *Rabelliana* Practicorum laudes meritò obtinuit, ejufque ufum fuademus cum D. *Sauvages* qui eam fpecificam habet, in fiftendis hæmorrhagiis. *Helvetius* qui de morbò ifto fcripfit, pillulas cum alumine & fanguine draconis confectas, in omni hæmorrhagiâ fpecificas jactitat. De *Barthez* & *Whytt* aluminis diffolutionem in fero lactis fuadent. Hematitis, præparationum martis, & præcipuè croci aftringentis, vitrioli viridis, à *Geoffroy* laudati in hæmorrhagiis uterinis, ufum neminem latet. Jam citatus Ill. de *Barthez* feptem aut octo grana viridis vitrioli in quatuor aquæ libris in ftatu atoniæ præfcribit. Sed iterùm prudentèr in illorum ftipticorum exhibitione, fe

---

(1) *Celeberrimus Profeffor D. de* Grimaud *in prætiofis dociffimifque de phyfiologiâ prælectionibus, fæpè fæpiùs fluida vitâ pollere, motu condenfationis & dilatationis donari eruditè nos docuit. Præclarifque à* Rofa *experimentis tentatis, lucidam probavit doctrinam.*

(2) *Traité des nerfs*, *tome* 4, *pag.* 300.

(3) *De praxeos regulis*, *cap.* 3.

(4) *Animadverf. med. lib.* 5.

(5) *Differt. de fanguinis fluxu uterino*, *pag.* 82.

gerat Medicus. Adhibenda non ſunt niſi in urgentibus circumſtantiis & cum mitioribus remediis combinata, qualia ſunt ſyrupus cydoniorum, de roſis rubris, de ſymphyto, ſuccus plantaginis, centinodiæ, urticarum, &c. & pro indicatione cum variis illis remediis ptyſanæ, decoctiones, julepi, opiatæ, pilulæ, potiones componantur.

Corallium, cancrorum oculi, terra ſigillata, bolus armena, inter aſtringentia locum tenent, hæc omnia remedia ſolidorum tonum adaugendo, agunt: quià acida & ſeroſitates quibus imbuuntur, abſorbunt, tùm in primis, tùm in ſecundis viis. Illuſtriſſimus Venerandusque Decanus D. de *Lamure* in uterinis hæmorrhagiis à ſanguine diſſoluto ob ſeroſitates, cum vaſorum laxitate productis, illa ſuadet. Et *Tiſſot* in eodem caſu corallium præſcribit.

Acida mineralia dulcificata, & præcipuè ſpiritus vitrioli juxtà *Cartheuſer*, proſperos exitus provehunt, in illis hæmorrhagiis quæ à quâdam acrimoniâ promoventur, aùt dùm pendent, ùt dictum eſt, à degeneratione biliosâ vel putridâ.

Profuſas uteri hæmorrhagias ſedare, futuras avertere, emetica refractâ admodum doſi propinata, teſtis eſt vir clariſſ. D. *Leake*, tartarum emeticum ad $\frac{1}{4}$ grani commendans vicibus repetitis dandum. Suechorum Regis archiater D. *Dalberg*, bonum ſæpiùs obſervavit effectum in exhibitione radicis ipecacuanhæ, ad doſim grani $\frac{1}{5}$ cum ſacchari ſcrupulo uno ſingulis horæ quadrantibus ſumendi. D. *Bergius* obſervatione propriâ confirmatum extollit ipecacuanhæ uſum. *Gulbrand* illam ſemel, ſed cum ſucceſſu adhibuit. Nonne hujus remedii virtus & efficacitas adaugeri poſſet, adhibendo ſolummodò extractum ejus gummoſum paratum ùt ſuprà dictum eſt de opio? Juxtà *Boulduc* hâc methodo parte reſinosâ ſpoliaretur, in quâ virtus nauſeoſa, excitans, nec-non emetica reſidet. Dùm extractum gummoſum virtutem ſolam tonicam retinet. D. *de Lamure* in fluxu uterino, ipecacuanham utiliorem fore judicat. Illud remedium meliùs indicaretur ſi à fluxu dyſenterico proveniret hæmorrhagia.

Si autem à febre gaſtricâ, biliosâ & putridâ, nonne locum obtinerent emetica? Ardua maximeque implicata quæſtio, omni prudentiâ & ſagacitate verſatiſſimi Medici digna eſt, cum (ut ſuperiùs notavimus) emetica abortum producere poſſint, & ſæpiùs reipſa moverent, ſi uterus majori minorive diſpoſitione, ut in illius hæmorrhagiis evenit, laboraret. Demùm è duobus malis, minùs ſeligendum eſſe exiſtimamus; itàque ſi ob febrem illam gaſtricam mors matri immineret, Medicus emeticum præſcribere non dubitet; licèt valdè timendum ſit de fœtu qui neceſſario interiret, ſi mater morte occumberet. Dubio illo auxilio & mater, & fortaſſè ipſe fœtus, à limine mortis eriperentur, & ut aït *Celſus*, *meliùs eſt anceps experiri remedium, quam nullum.*

Nùnc de topicis paucis verbis agendum ſupereſt. Eorum efficacitatem non ignorabant veteres in uterinis hæmorrhagiis. *Hippocrates* ſpongiam aquâ frigidâ imbutam, epigaſtrio apponere ſuadet. *Van-Swieten* & *de Barthez* huic remedio laudes conferunt. *Barbaut* narrat (1), DD. *Desjour* & *Jard* abdomini cruribuſque appoſitâ glacie hæmorrhagiam uterinam ſanaſſe, in quâ nulla ferè ſalutis ſpes illucebat. Hæc applicatio maximè convenire videtur in atoniâ tantùm propter ſpaſmodicas ſtricturas quas in partibus quibus apponitur, procreat. Illæ autem ſtricturæ in utero ſympaticè reproducuntur quàpropter in vaſis uterinis contractio evenit. Aceti, oxycrati familiarem uſum neminem fugit in atoniæ caſu. Illo liquore lintea imbuta abdomini, cruribus, vulvæ, cum ſucceſſu apponi clariſſ. Profeſſor D. *René* in ſuis egregiis de Chymiâ prælectionibus nos docuit. Nobilem ipſe matronam vidi, illo auxilio vulvæ appoſito periculoſiſſimâ liberatam hæmorrhagiâ. Manuum ægrotantis in illo frigidiſſimo liquore immerſio ex D. *de Lamure* obſervationibus, mirificos obtinuit effectus. Plures Auctores cataplaſma gypſo in pulverem redacto, nec-non aquâ diluto, confectum pubique appoſitum laudibus extollunt. D. *Cuſſon*, Botanicæ Profeſſor, ab illo auxilio ſalutiferos productos fuiſſe effectus mihi impertivit. Demùm inter topica, omnia aſtringentia de quibus ſermonem egimus annumeranda ſunt.

Si invanùm, licèt methodicè ex præcedentibus præſtantiora, quædam adhibita fuerint remedia, ſi copioſior foret hæmorrhagia, neceſſario partus determinandus eſt, antequam vires ægrotantis penitus exhauſtæ ſint. *In fluxu muliebri ſi convulſio & animi defectus advenerit, malum* (2). Sed ſi feriùs expoſtuletur auxilium, ſi in ſtatu extremæ debilitatis deprehendatur ægrotans, & ſanguis abundè profluat, non miſeræ ſorti permittenda ægrotans, in urgenti arduâque illâ circumſtantiâ; ſed potiùs partum determinandum eſſe judicamus. *In extremis morbis, dixit Hippocrates, extrema etiam tentanda ſunt remedia. Puzos* (3) idem docet, plures mulieres ferè exanimes, quarum extremitates frigebant, vitæ reſtituiſſe teſtatur : attamèn de imminente periculo, ægrotantemque per operationis tempus vitam amittere poſſe, famæ ſuæ conſulens, proximos moneat Medicus.

Mauriceau & *Deventer* partum ſtatim determinare præſcribunt, in illis hæmorrhagiis quarum deglutinata placenta cauſa fit, & ſi mulier à tri-

---

(1) *Traité d'accouch. tom.* 2, *pag.* 164.
(2) Hipp. *lib.* 5, *aph.* 56.
(3) *Traité d'accoueh. pag.* 172,

bus

bus menfibus, aut à minori tempore utero gerat. Hanc fententiam refpuit *Van-Swieten* (1) è contrà fic aït, de illo graviditatis tempore. « Os uteri » magis connivit, fæpè & altius locatur, ut non adeò commodè tangi » poffit digito, & multò minùs aperiri, fic ut fœtus educi poffit, qui etiàm » cùm mole minor fit, difficiliùs prehendi, nec ob corpufculi mollitiem, » digitis firmiter teneri poterit. » Prætereà nullum ex Auctoribus latet, raró admodùm hæmorrhagias uterinas in primis tribus menfibus lethales effe. Sed è contrà, naturam ipfam abortum producere, cùm jam tradita remedia nullo donantur effectu. In illis anguftiis, plures fervatas vidit *Van-Swien* (2): « illis auxiliis quæ laudata fuerunt quamvis (ut ipfe aït) » ob profufam hæmorrhagiam convulfæ, jàm moriturae ab adftantibus » crederentur. » *Puzos* (3) duarum mulierum obfervationem commemorat, quas in tertio graviditatis menfe, fubitò copiofiffima invafit hæmorrhagia, quæ per tres hebdomadas in utrâque fæviit, una ex illis grumos fanguinis identidem rejiciebat, qui futurum abortum prænuntiabant; attamen ad ftatutum à naturâ terminum utraque faufte pervenit, & peperit. Omnes artis obftetriciæ magiftri, hæmorrhagias à fexto geftationis menfe, ufquèad naturalem terminum fupervenientes, aliis multò periculofiores judicant. Quia tùnc vafa uterina magis dilatata, copiofiùs fanguinem fundunt. Prætereà fœtus major eft, quam ut os uteri illius expulfioni non obftet, & in ifto præcipuè cafu, partum determinare neceffe eft, cùm inutilia fuere fupradicta auxilia. Plerique Auctores fuadent ori uterino vim, dilatando, inferre, & citiffimè fœtum pedibus apprehenfum excludere, in quocumque fitu deprehendatur. Hæc naturæ adverfans methodus inflammationi uteri, febre acutiffimâ, fymptomatibufque fæviffimis ftipatæ, anfam præberet. Prætereà fperari ne poteft, poft fœtûs extractionem, fore ut uterus fufficienti vi polleat, quàm ut fubitò contrahi poffit? Cùm, ob præcedentem hæmorrhagiam omnes illæ partes atoniâ infirmentur. Plures mulieres poft exclufum fœtum, permanente ob defectum contractionis, hæmorrhagiâ, obiiffe probabile videtur.

Puzos obftetricans peritiffimus, cognitis periculis nec-non inutilitate hujufce methodi, medium prudenter tenuit. Partum naturalem lento incedentem gradu accelerandum effe judicavit. Ab experientiâ cognoverat, fcopum attingi poffe, aliquid à partu arte patrato mutuando: itàque dilatationem oris uteri digitorum ope adauget, eâdem proportione

(1) *Comment: fect.* 1309, *tom.* 4, *pag.* 511.
(2) *Idem.*
(3) *Traité d'accouch. pag.* 69.

ac ipfa præftat natura, cavetque in quantùm fieri poteft, ne minima vis inferatur. Ferè femper hæmorrhagia dilatationem incipit, aliquandò leves accedunt dolores qui partum promovent; fed quià debilitas & animi defectiones dolores fuffocant, excitandi cùm defunt, aut adaugendi cùm debiliores funt, introducendo in os uteri unum vel plures digitos, oleo vel butyro inunctos, ut relativa ad refiftentiam obtineatur dilatatio, quæ gradatim & repetitis vicibus iterari debet, ne nimis torqueatur ægrotans: illa autem dilatatio dolores excitat, actionem uteri promovet: tùnc quàm plurimùm perforentur membranæ ut erumpant aquæ, quia ab illarum fluxu valdè imminuitur capacitas uteri qui contractione fœtum, versùs orificium pellit. Augentur dolores, matris conatibus, tùm voluntariis, tùm à doloribus excitatis, & digitorum qui in orbem dilatationem operantur auxiliis, fœtus expellitur. Tùnc fanguis qui ex utero profluebat, compreffione generali uteri, in vafis retinetur. Partus ille juxtà clariff. *Puzos*, intrà paucum tempus terminatur, & ferè femper, mater, ipfeque fœtus (fi ad fufficientem terminum pervenerit) incolumes fervantur, qui infallibilitèr perirent fi partum naturalem expectaret Medicus, aut fi fœtûs extractionem operaretur, in maximo verfarentur periculo.

Obfervationibus quàm plurimis hanc methodum peritiffimus ille Practicus confirmat, illamque fœtûs extractioni meritò anteponit, quæ tamèn neceffaria quandòque fieri poteft, v. g. cùm fœtûs caput ori uterino non correfpondet aut in fitu non naturali verfatur. Omnes celeberrimi Practici, ut *Levret*, *Smelie*; *Baudelocque*, hujufce methodi utilitatem, præftantiam cognoverunt, illamque laudibus extollunt.

Nùnc de illis hæmorrhagiis quæ à placentâ fuperiori uteri orificio adhærente, originem ducunt, quæftio erit. Hæmorrhagia verò quæ tùnc femper accidit, graviditatis comes neceffaria videtur, & pro circumftantiis citiùs aùt feriùs apparet, fequentibufque dignofcitur fignis. Sanguis fævientibus doloribus copiofiùs fluit, parciùs verò per dolorum intervalla, feù remiffiones. Dùm è contrà per illa intervalla majori copiâ fluit, cum hæmorrhagia à placentâ ex interiori uteri fuperficie deglutinatâ pendet, fignum illud peculiarem meretur attentionem, ut cognofcatur in hæmorrhagiâ, initio laboris ingruente, nùm fuperiori uteri orificio, aùt alteri parti placenta adhæreat. Infuper tactûs ope, certior eruetur diagnofis, fi digiti in vaginam introducti, mollem fpongiofum, indolentemque tumorem detegant, fi huic tumori fanguinis grumi adhæreant, & fi grumos extrahendo, ingravefcat hæmorrhagia, detectis fignis illis, placentæ orificio uteri fuperiori adhæfionem affirmare non dubitet Medicus. In praxi notantur cafus, in quibus placenta os uterinum penitùs obturat. Alii verò minùs periculofi in quibus collo adhæret, propè orificium. Ex iis

omnibus diverſa eruenda prognoſis, variaque ex *Roëderer* (1) adhibenda auxilia.

Si parvâ tantùm parte, placenta orificio adhereat, nequè copioſa ſit hæmorrhagia, pro indicatione ad ſupradicta confugiendum eſſet auxilia. In illo caſu *Baudelocque* (2) lintea aquâ frigidâ & aceto imbuta, abdomini apponi jubet : aùt peſſarium lino, vel linamento confectum, eodem liquore imbutum in vaginam introduci præſcribit. Verùm ſi copioſior hæmorrhagia mortis metum inferret, dolores excitandi eſſent, & ſubitò partui danda eſt opera. Methodus Cl. *Puzos* in iſto caſu, effectus non obtinet, quos in aliis mirificè præſtat. Quidam Practici ſuadent mediam placentæ partem perforare, illâque viâ manum introducere, ut fœtus invertatur, dein pedibus apprehenſis excludatur, quàm difficilis ſit operatio illa nemo non videt. Præthereà ferè ſempèr totalis placentæ avulſio ſubſequi debet quæ periculoſiſſimam producere valet hæmorrhagiam. Demùm fœtus trans maſſam illam, viam ſibi aperturus, humeribus illam abducere poſſet. Humerorum volumen adaugeret, & periculum matri fœtuique majus immineret. Cl. viri *Baudelocque* & *Lemoine* manum in vaginam introducere docent, digitorum auxilio partem placentæ jàm deglutinatam quærere, ut deglutinatio uſque ad placentæ tertiam aùt circitèr circumferentiæ partem adaugeatur, & poſt hanc operationem quæ iteratis vicibus, ne vividiores excitentur dolores, peragere neceſſarium eſt, introducitur manus in uterum, dilacerantur membranæ, fœtûs caput plerùmque obvium repellitur, inventiſque pedibus ſolertèr educitur, educto fœtu, penitùs deglutinanda placenta: quod arduum non eſt.

Spurius conceptus hæmorrhagias uterinas producere poteſt; aſt verò inutilia forent adversùs eas omnia quæ ſuprà tradidimus remedia, & ſolâ excluſione ſanari poſſunt. Sed quià Celeberrimi Practici docuerunt à naturâ potiùs quàm ab arte expectanda eſſe auxilia, de illis non agam. Sic enìm *Puzos*. « De toutes les Femmes que j'ai ſécourues en pareille circonſtance, » je n'en ai pas vu de plus èpuiſées par la perte de ſang, que le furent » deux Dames de condition dans la même année; il s'écoula à chacune » d'elles plus de ſix ou ſept livres de ſang, en moins de douze heures que » le faux germe fût à tomber dans le col de la matrice, & à en être expulſé » avec un peu d'aide. J'aurais eu de quoi m'effrayer dans bien des occa- » ſions de cette eſpece, ſi l'expérience ne m'avait fait éprouver qu'il eſt » extrêmement rare de voir périr des Femmes par des pertes de ſang, » cauſées par des faux germes. »

---

(1) *Art des Accouchemens*, *page* 168.

(2) *Art des Accouchemens*, *tome* 1, *page* 336.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR
N.N. D.D. PROFESSORES REGII.

N. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

N. D. PAULUS-JOSEPHUS DE BARTHEZ, *Cancellarius & Judex. Adjunctus.*

N. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

N. D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Pro-Decanus.*

N. D. ANTONIUS GOUAN.

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

N. D. FRANCISCUS VIGAROUS.

N. D. JOANNES SABATIER.

N. D. JOANN. CAR. DE GRIMAUD, N. D. DE BARTHEZ, *Coadj.*

N. D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN, N. D. DE LAMURE *Coadjutor.*